

bat Chunrad der Rampperstorffer Purger ze wienn nach Christes gepurt. M^o CCCC^o secundo. Tò getzewgt, erczewgt in utraque Claufula innuit, Exemplar istud iussu et impensa Conradi Rampperstorfferi descriptum fuisse, qui Vir luctuosum exitum inuenit; sexennio enim post feruentibus inter Duces Leopoldum et Ernestum fratres dissidiis, motu populari apud Leopoldum reus actus una cum Consule Conrado Vorlauff et aliis quinque capite plexus est 10. Jul. 1458.

DCCCXXIX.

- U. 156 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 236. f. per duas columnas nitide exaratus et rubricis distinctus, sed sub principium et finem situ et mucore non parum passus complectitur: I. Opus de Officio Missae II. Partibus seu Libris constans, cujus Praefatio incipit: *Venerabiles patres et domini cogitanti mihi — — quid laboris quidve utilitatis pro felici incremento nouelle plantationis illustrium principum dominorum Marchionum Misnensium videlicet alme nostre vniuersitatis Llypcensis facere possem &c.* Liber vero I. *Ad honorem benedictae et indiuiduae trinitatis patris videlicet et filij et spiritus sancti, sanctorumque patronorum huius dyocesis (Merseburg.) scilicet sancti Iohannis baptiste et sancti Laurentij martiris pro felici incremento alme vniuersitatis lipcensis aggressurus — declarationem sacratissime missae &c.* Atque haec *Declaratio* abit in II.

Libros, Libri in Tractatus, et hi in Capita. Liber I. agit de quibusdam precedentibus et disponentibus ad dominici corporis dignam tractationem et sumpcionem et de ipso sacramento corporis christi secundum se in ipsa missa. Liber II. de Missae parte preparatoria, instructoria et oblatoria. Uniuersa tractatio, quae solidum et doctum Theologum probat, melioribusque Scriptis liturgicis adnumerari potest, finit: *a laude quoque terminemus ut in eternum laudemus eum, qui uiuit et regnat in secula seculorum. Amen.* Addidit Librarius: *Et sic est finis huius officij missae compilatum per Reuerendum magistrum Nicolaum Stör In Studio lypcensi Sub Anno domini Millesimo CCCCXVIII^o.* Academia Lipsiensis natalem habet annum 1409. et Nicolaus noster inter primos ejus Plantatores fuisse videtur. Meminit ejus *Conr. Wimpina Oratione* inter editas VII. p. 24. f. habita Lipsiae 1503. his verbis inter Doctores Acad. illustres: *Fuit Nicolaus ille Stör Lignizensis, qui amplo uolumine Canonem missae digesserit.* Meminit et J. Henr. Cunradus Silesiae Togatae p. 298. annoque 1411. floruisse ait; addit tamen perperam, ut probat Codex noster, Opus suum de Missa scripsisse an. 1467. errorem Bibliothecae Gesn. secutus. Exemplar Operis aliud ms. extare in Bibliotheca Acad. Lips. docet J. Felleri Catalogus p. 189.

II. fol. 95. et usque ad finem habentur magno numero Sermones bre-

breves vel Adparatus potius homileticus in plurima *Epistolarum Paulinarum* loca, quorum initium est ab illo *Rom. 13. Hora est jam nos de somno surgere*, ubi sic orditur Orator: *Hoc tempus dicitur tempus aduentus. quia cantus ecclesie sunt de aduentu.* &c. Noli tamen credere, Autorem temporis ecclesiastici filium sequi. Ad finem aliquorum Sermonum remittit ad *Tractatum de pace et gweris*, item *de commendatione gratie et de Auaritia*. Quinam hi Tractatus, et an Autoris proprii?

Ad Codicem compingendum adhibitae sunt Partes cujusdam Catalogi Bibliothecae per *Bankos* Seculo XV. descriptae nihil notabile continentis, et Membrana mutila data *Pragae 1401. in Kaczano*, qua jubentur cuidam *M. Nicolao* in *Ecclesia Nysensi* (Silesiae) Capellam administranti persolvi Decimae.

DCCCXXX.

C. 992 Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. nunc 8. est enim initio mutilus, forma 4. maj. niceide, luculenteque scriptus, olim *Antonii Folch de Cardona* Archiep. *Valentini* ex O. S. F. qui *Senatus Italici* Praefes obiit *Viennae 1724.* et cum ejus Bibliotheca redemptus a *Carolo VI. Imp.* Liturgicus est, et *fol. 1.* e Ritu sacros Ordines conferendi nil amplius exhibet, quam ordinationem *Subdiaconi*, cujus prima verba: *archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanili ac manutergium.* Dein sub Rubrica *Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

ca quadrata: *Ad Subdiaconum Ordinandum. Ordinatio Subdiaconi. Benedictio Subdiaconi*, sequuntur ea, quae legere est in *Sacramentario Gregoriano T. II. Liturgiae Rom. Ludov. Muratorii col. 421.* ita tamen, ut Noster omnia singulari numero efferat, et quaedam habeat, quae castigatiora videntur *Muratorianis*, non obstante ejus lectione varia. Ita melius: *De ipsis oblationibus*, quam: *De ipsis in oblationibus.* Melius: *putridum in sacrario*, quam: *putridum in sacramento.* Melius fortasse: *in substratorio*, quam: *in substentorio.* Melius: *aqua — debet uergi*, quam: *mergi.* Haec in prima; in tertia vero Rubrica five *Benedictione* melius: *Spiritus consilii*, quam: *auxilii*, et quaedam minutiora, quae variant. *Fol. 2. p. 1.* alia sed coeva currente manu: *In Assumptione Sanctae Mariae.* Nempe *Missa Gregoriana*, ut *l. cit. col. 114.* praevia tamen *Oratione: Concede nobis omnipotens deus ad beatæ mariæ semper uirginis gaudia eterna pertingere &c.* quae *Exemplo Muratorii* defuit; apud *Pamelium* tamen *Liturg. Eccl. Lat. T. II. p. 330.* reperitur pridie *Festi ad Vesperos* inscripta. Adest insuper *Praefatio*, quam cum apud Autores consultos ad hoc Festum non repererim, huc transferre visum est. *Qui nos mirabile misterium et inennarrabile sacramentum per uenerabilem mariam seruare docuisti. In qua manet intacta castitas. pudor integer. firma constancia. Nam in hoc se matrem domini fuisse cognouit. quia plus*

R

plus